

studeant utique: quæ extrâ auctoris gloriam nec queri, nec
inveniri potest. Tum secundum quid talis, hominum ni-
mirum salus atque emolumentum. Vel Intermedius,
qui pro intentione variat agentis. Ad hos autem
Fines multum facere Typographiam omnes hujus ar-
tis Scriptores, imò ipsa rerum magistra Experientia
fatis superque testatur.

XX. Sed de causis hæctenus; nunc videamus, quæ
nam ex illis fluat *Descriptio*. Prolixior prodiret talis:
Typographia est singulare quoddam artificium, Seculo XVI.
à Germanis divino munere excogitatum, quàm plurimis ty-
pis, sive characteribus æneis, quibus legitime à Typotheta,
juxta Exemplar autographum, compositis, preloque subjectis,
ope deinde pilarum atramento peculiari ab impressore illitis
et chartis superimpositis singulari quadam facilitate ac cele-
ritate imprimitur ad Numinis divini gloriam, hominumque
commòdum ac salutem. Paulo brevius sic posset concipi:
Typographia est novum scribendi genus, ultimis temporibus
inventum, ubi non calama, sed typis æneis atramentoque
peculiari arte confecto, beneficio preli, scribitur celerrime.
Quæ *Descriptiones* ex hæctenus expositis sine ulteriori
explicatione facile intelliguntur.

XXI. His ita expositis, nil restat amplius, quàm
ut paucis *Adjuncta* etiam Typographiæ subjiciamus;
inter quæ primùm locum obtinet *Maxima ejusdem Di-*
gnitas atque præstantia; quæ vel ex eo innotescit, quòd Ty-
pographia longo intervallo cunctas post se manuari-
as relinquat artes; quippe per eam caeteras omnes
aut conservatas habemus aut propagatas. Et quis
nescit, propter dignitatem cum Sole sæpius eandem
comparari? *Inventum hoc*, inquit Majerus, *totum illu-*
stravit Orbem, ut Sol terrenus, nec solum terram ditavit; sed
animos quoque hominum instruxit disciplinis et artibus, tabu-
lam.